

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

HEPATITIDE.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

HEPATICIDE,

quod

ANNENTE SUMMO NOMINE

Ex Auctoritate Reverendi admodum Vini

D. GEORGI BARRD, S.S.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE TRACTATI

IN

INAUGURALE

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto

PRO GRADU DOCTORIS

SUBMISIT IN MEDICINA HONORARIUS AC PRIVILEGIATUS

ALICE ET REGIMINE CONSIDERANDIS

Examinum examini subicit

ALEXANDER MELVILLE

EX INDIA OCCIDENTALI

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC.

Ad diem 12. Sept. Hora locoque solitis

EDINBURGI

EXCUDERUNT C. STEWART ET SOCIJ
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

1801

10

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

HEPATITIDE;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI Consensu;

Et NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

ALEXANDER MELVILLE,

EX INDIA OCCIDENTALI:

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC.

Ad diem 12. Sept. Horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT C. STEWART ET SOCII,
ACADEMIAE TYPOGRAPHI.

1801.



PATRI OPTIMO

ALEXANDRO MELVILLE, M. D.

DE INSULA SANCTI VINCENTI,


HAS STUDIORUM PRIMITIAS,

PIETATE,

QUA FILIUM DECET,

D. D. Cq.

ALEXANDER MELVILLE.



Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

HEPATITIDE.

AUCTORE ALEXANDRO MELVILLE.

HUJUSCE Academiae legibus potissimum inductus, quamvis in ipso curriculi Medicinae initio, et quasi in limine, de jecinoris humani morbo, qui inter medicos nunc dierum *Hepatitis* audit, pro virili pauca differere decrevi. Haud me latet Poetae celeberrimi verborum veritas, nempe, “difficile esse communia dicere;” attamen, partim propria, partim amicorum experientia, sed doctissimis medicis, quorum operibus incumbo, multum fretus, quamvis oneri impar, si aliquid novi in lucem edere non audeam, antea saltem

de hoc morbo tradita, clariora fortassè reddere, conabor. His subjungere liceat, me Professorum hujus almæ Academiæ celeberrimorum, lectorumque benignorum veniam rogare, propter mendas, quibus in hocce opusculo, me obnoxium fore, pro certo ferè habeo.

Quoniam omnia corporis humani viscera plùs minùs inflammationi serviunt, hepar igitur hoc malum interdum patitur : morbus apud nos quidem non adeo frequens est ; in India autem tam occidentali quàm orientali, plagisque terrarum calidioribus, latissimè regnat. Νόσος ἑπατίνα inter Græcos dictus est, quod nomen speciem morbi utramque, acutam scilicet, et chronicam, similiter apud nos designare solebat, sicut ex Celso colligimus. Medici autem hodierni, speciem morbi acutam, vel inflammatoriam Ἐπατίτιδος nomine discriminari malunt : definitionem speciei acutæ, quoniam de ea priùs agemus, ipsis Cullenii, Nosologorum celeberrimi, verbis, hoc loco citare, æquum mihi videtur.

“ Pyrexiâ ; hypochondrii dextri tensio et dolor, sæpè pungens pleuriticæ instar, sæpiùs obtusus ;

fus ; dolor ad claviculam et summum humeri dextri ; decubitus in sinistrum latus difficilis ; dyspnœa ; tussis sicca ; vomitus ; singultus. ”

Hepatitis raram esse suprâ dixi, rei que hujusce rationem aliquatenus reddere tentabo. Etenim, si jecinoris molem spectemus, ipsa arteria, quæ *hepatica* vocatur, ejusque rami, quibus per tantum viscus sanguis distribuitur, nil ferè esse videbuntur. Sanguis, insuper, qui per venam portarum, ad bilis secretionem, hepar versus cursum tendit, deficientibus jam cordis atque arteriarum viribus, adeo lentò fluit, ut vix unquam sufficere videatur ad inflammationem inducendam. His duabus de causis, medici non parvi quidem nominis, talem hepatis conditionem existere omninò negaverunt, vel morbum rarissimum esse affirmârunt. Pace tamen tantorum virorum dicere auderem, inflammationem visceris hujusce sæpius contigisse, et rem etiam cadaverum sectione atque experientiâ esse confirmatam. Duabus morbi speciebus supra memoratis nonnulli addunt speciem *arteriosam*, et *venosam*,

unde patet, malum vel ex arteriæ hepaticæ, vel
venæ

venæ portarum ramis originem ducere posse. Nam certè vasis utriusque rami per totam jecinoris substantiam æquè distribuuntur; et præterea, si fidem SWIETENIO cel. habeamus, connexionem inter se invicem per *anastomosis* habere videntur. Confitendum tamen est, speciem *venosam* non adeo facilè distingui, unde multi de diagnosi sæpissimè errant. Ex suprâ dictis fortè constabit, me eorum menti favere, qui in extremis portæ, arteriæque hepaticæ ramis malum procreari credunt. Haud me quidem latet, multos, et celeberrimos etiam, inter quos, vir insignis atque sagacissimus, cujus industriâ, studio, diligentîâ, hæc Academia quondam viguit, diuque florebit, recensendus est, ab hâc opinione dissentire. Jecinoris superficiem, partes visceris parenchymatosas, membranasque adnexas semper affici malunt; hanc affectionem acutam, illam autem speciem chronicam designare credunt. Vir cel. de quo paulo antè, omnia quidem, ni fallor, inflammationis acutæ symptomata, partibus membranaceis tribui oportere putat. Sed cum bona pace viro-
rum illustrium, humiliter rogare vellem, quomo-

Ad hoc probant, vel quibusnam signis potiùs, hujus, vel illius partis affectionem nobis ostendunt? Hoc modo quidem probant, “ Verisimile videtur; ” hoc à tantis viris mihi, sed aliis fortassè non sufficit. Hæc de variis medicorum opinionibus hætenus dicere, necessarium duxi. Nunc præcipua morbi symptomata recensere paro,

HISTORIA.

Hæc ferè miserrimos hoc malo laborantes cruciare solent: solitis febricitantium symptomatis in principio potissimùm vexantur. Dolor in hypochondrio dextro præcipuè, et epigastrio, nunc vehemens et pungens, nunc obtusus et quasi profundus, pectus, jugulum, acromion, claviculamque ejusdem lateris afficiens, percipitur. Dextra interdùm adeò torpet, ut ægro vix utilis esset.* Decubitus super utroque quidem latere difficilis, sed præcipuè sinistro; in ea etenim corporis positione

* Burf. vol. vi, Svo. p. 203.

sitione hepar propriâ sede removetur, et quasi pendet. Singultus tam violentus interdùm occurrit, ut ægrotans tantùm non strangulari videatur. Vomitiones, fellæque biliosæ etiam morbum comitantur. Respiratio difficilis atque laboriosa est: inspiratio imprimis ægrum vexat; tussis plerumque sicca, frequens, et dolorem augens, sese comitem jungit. Post cibum sumptum, ingratus oritur repletionis sensus. Præcordiorum anxietas et lipothymia accedunt. Pulsus plerumque debilis. Pars affecta pressu magnoperè dolet. Dolor pleuritidem sæpè mentitur. Color ictericus, vel flavedo cutis et oculorum adest. Sed hoc nonnullis symptoma rarissimum esse videtur; de eo autem mox dicemus. Symptomatum varietatem oriri secundum partem hepatis affectam, inter omnes ferè convenit. Convexitate etenim læsâ, respiratio et diaphragma tum magis tentantur; sed color ictericus vix ullus est; dolor et singultus vehementiùs urgent. Si concavitatem malum occupet, æger non admodum commovetur; at color ictericus, alvus astricta, aut fœces albidæ, pulsus debilior, animi deliquia crebriùs apparent.

parent. Hæc duò posteriora spasms à nonnullis tribuuntur ; res fortè sic se habet, aliquid tamen de ea pro certo tradere non audeo. De lana, insuper, caprina, cum talibus viris contendere, vix operæ pretium duco. Sed cum bona eorum venia, aliam mihi etiam causam hîc subungere liceat, sanguinem, nempe, propter hepatis inflammationem, impediri, quò minùs iter solitum per Portam Cavam versus perficeret : hoc etenim modo cuivis patet, usitatum cordis stimulum deficere, undè symptomata suprâ memorata facilè consequuntur. Secundum quosdam Cardialgia mendax occurrit. Anxietas, nausea, vomitus, sitis, multaque alia, dum pars concava afficitur, violentiùs ægrum infestant. Paucis tantùm adhuc de symptomatum ratione traditis, de effectibus mox dicturo plura adjungere mihi in animo est.

CAUSÆ.

CAUSÆ.

Quæcunque inflammationem in genere gi-
gnunt huic etiam morbo originem præbere solent.
Hæc igitur unà cum aliis, quæ in systema hepa-
ticum præcipuè vim suam convertunt, quàm
brevissimè jam recensere paro.

Culleno cel. aliisque, qui causas hepatitidis
valdè obscuras, incertasque esse, et falsas pro
veris sæpiùs accipi scribunt, libentissimè quidem
assentior; nonnullas tamen ex plurimis citare
oportet. In temperamento melancholico, atque
cholericò sese ostendere frequenter invenitur.
Affectiones hypochondriacæ, quæ diu infestant,
malo ortum dare creduntur. Calculi in vesiculâ
fellea, bilis crassior, aut acrior quàm fert natura,
mentis pathemata, fluxus hæmorrhoidalis in-
tempestivè cohibitus, febris, cujuscunque sit spe-
ciei, ictus gravior hepatis illatus, frigus partibus
internis, vel externis applicatum, undè pneumo-
nia etiam provenit, ægrumque interdùm simul
aggreditur,

aggreditur, inflammatio jecinoris chronica, plagæ calidæ; hæc omnia pro causis habentur.

SYMPTOMATUM RATIO.

Ex hisce, quæ de morbi effectibus tradere suscipio, symptomatum nonnullorum ratio, de quibus antea mentionem feci, clariùs fortè constabit. Hepar magnâ ex parte ventriculo superimpositum esse, re anatomicâ vel leviter imbutis manifestum est. Si igitur jecinoris moles adaugeatur, alimenti receptaculum magnoperè premi, adeòque coarctari, ut solitum spatium vix occupare queat, et hoc post cibum sumptum præsertim accidere, patet; tum enim magis, septum transversum versus viscus affectum propellitur. Inde, ni fallor, haud admodum difficilia explicatu videntur signa, quæ secundum diversam mali sedem suprâ variare dixi. Hepate, insuper, violenter inflammato, sanguinem venæ portarum, per id cursum diutiùs legere non posse, etiam tiro-

ni liquet, undè circuitus viscerum abdominalium venosus in portam, inhibetur, utpote quæ nimiam distensione laborat; arteriæ similiter fluidum suum, ut antea, in venas effundere nequeunt. Ruptio igitur vasorum subita, vel gangræna timendæ sunt. Hinc anxietas plurima, oppressiones, et dolores vel tormina in diversis abdominis partibus necessariè percipiuntur. Pars thoracis læva præcipuè torqueri videtur, quæ res certè provenit ex nimia sanguinis copia, quæ ob causam paulo antè datam, in aorta et circa cor cumulatur. Vomitiones violentæ etiam frequenter occurrunt, quibus miserrimi nonnihil levantur. Si enim vomitus sit vehemens, sanguinem cursu retrogrado à venis distentis in arterias propelli verisimile est; et hoc, ni fallor, probari potest ex eo, quòd icterus, qui certè morbum sæpius comitatur, bilem etiam hâc ipsâ vomendi vi ab hepate retro cogi ostendit. Ut hæc omnia faciliùs intelligantur, nonnullis haud ingratis fortè videatur, si insupèr addam, mesocolon et intestina, sanguinem ab arteriis mesentericis, superiore scilicet, et inferiore, solis accipere, eodem modo,

modo, quo ventriculus, lien, pancreasque arterias proprias à cœliaca mutuatur. Patet etiam totum fluidum, si pauxillum excipias, ex arteriis hisce in portam colligi, quæ, si aliquo modo obturetur, omnes, de quibus antea, molestiæ facilimè exsurgunt. Icterus prætereà morbo adhæret; sed effectum huncce rarissimè sequi, nonnulli experientiâ, ut aiunt, docti affirmant; alii, quibus potius assentior, si non auriginem ipsam, colorem saltem ictericum plus minus semper adesse contendunt. Confitendum tamen est, colorem ictero laborantium non semper esse eundem, et hâc forsan diversitate errorem de ejus existentia nasci. Cur autem sic variatur, paucis explicare tentabo. Bilis cystica atque hepatica faciem similem non ostendunt, et utraque à naturali diversam interdùm inducere invenitur. Unde ægri nunc pallidi, nunc flavo-virides, interdùm lutei vel crocei, rursusque nigro-virides conspiciuntur. Duas solùm species, nigram nempe, et flavam, medici plerumque agnoscere solent. Si fontem tamen nominis *icteri* respiciamus, speciem flavam tantùm existere verisimile videretur. No-

men

men (ἀπὸ τῶν ἰκτινῶν) derivari malunt plerique, i. e. à Milviis, quorum oculi flavo tinguntur colore. Sed hæc obiter dicta sint.

Utrùm autem auriginem hepatitis unquam gignat necnè, nonnulli plurimùm hærent. Haudquaquam mihi dubium videtur, non solùm icterum, verùm etiam ascitem, à jecinoris inflammatione oriri posse, quodcunque etenim impedimento est, quò minùs ab hepate, vesiculaque bilis in duodenum transeat, morbum certè inducit, quod ex observationibus plurimis atque certissimis, et sectione insuper cadaverum patet. Secundum cel. Swietenium icterus in infantibus sæpè observatur, eò quòd intestinum suprâ dictum materiæ cujusdam collectione obturatur, cui remedio est lenis purgatio: et ut res porrò confirmetur ex ejusdem eximii viri auctoritate, mulieres, quæ ventrem ferunt, et quæ tali affectione nunquam ante, nec post partum, laborârunt, morbo corripiuntur. Hoc quidem accidere potest ob molem uteri auctam, quæ viscera abdominalia propriâ sede remota comprimit. Si hepar itaque in ea parte inflammètur, quæ juxta du-

ctum

ctum utrumque jacet, aurigo proculdubiò apparebit. Inter omnes, ut opinor, convenit, bilem fecerni, priusquam in sanguinem, indeque in cutem refusio fiat. Observatu tamen dignum videtur, materiam, ex qua mox bilis separanda est, in vena portarum existere; undè, per ductus hepatis secretorios viam sibi patèfacere debet. Si extremi igitur portæ rami aliquo modo, humoribus viscidis putà, vel inflammatione occludantur; bilis, quamvis adhuc quidem imperfecta, sic diutius quàm par est in eodem loco commorata, per corpus totum faciliè diffunditur, colorque superficiei plùs minùs biliosus necessariè sequitur. Cursu, ut patet, fluidorum ex abdomine impedito, eorum stagnatio et putrefactio fiunt. Omnium namque, ex quibus corpus humanum constat, partium, fœformam putridam citissimè induit. Undè igitur plerumque contingit, ut, in cadaveribus, loca hepatis vicina corruptionem primò patiantur. Sed hoc in Porta, venisque aliis ei adnexis maximè timendum est, quoniam in his materia biliosa, cui jam non datur exitus, copiâ justo majore

majore remanet, unde, ut mihi videtur, evidens est, cur diarrhœa atque dysenteria formæ quidem, putridissimæ morbum sæpissimè comitantur.*

Ascitem inter effectus memoravi ; nunc restat, ut hoc paucis probare conarer. Nemo, ut opinor, dubitat, quin intumescentiæ omnes aquosæ aut ex absorptione imminutâ, aut exhalatione auctâ orientur. Et quum fluidorum cursus, ut fusiùs explicavi, in vasis abdominalibus præpediatur, ascitem facilè induci credo ; eumque simul cum ictero, uno eodemque tempore adesse, cur quidem hæream, non video ; paucique erunt, ni fallor, qui, re arctiùs perpensâ, mecum non facient.

DIA-

* Vid. Swiet. apud. Boerh. vol. ix. p. 174.

DIAGNOSIS.

Morbi hujusce diagnosi plerumque difficilis et sæpè fallax est. Signa, quibus dignoscatur tamen pro virili enumerare tentabo. Gastritidem hepatitis sæpè æmulari invenitur, et discrimen haud admodum facilè esse confitendum est. His fortassè aliquatenùs discriminari possent. Appetitus depravatus, singultus, anxietas, nausea, vomitusque in utraque manifestantur; sed sæpiùs, violentiùsque, ut opinor, in illa; et præterea, ut in historia tradidi, cum pars jecinoris concava tentetur, hæc jam nunc memorata vix ulla sunt. Dolor ardens et tensio magna regionis ventriculi in illa etiam percipiuntur, quæ in hac non admodum urgent. Vires illa plùs quàm ulla alia inflammatio prostermit, extremitatesque porrò frigore sempèr afficere dicitur, quòd in hac abesse asserere non audeo; hanc igitur distinctionis partem in medio relinquere volo; de ea contendant peritiores ad libitum. Quodcunque etiam in ventriculo

triculum recipitur, non adeo, ut mihi videtur, in hoc, ut in illo morbo dolorem ciet. Hoc ferè modo à pneumonia distinguitur. Dolor non tam acutus in hepaticide sentitur. Sedes etiam mali in utraque diversa est. Tussis et dyspnœa non tam vehementer in hac quàm in illa urgere percipiuntur. Hæc super latere dextro tantùm ægrum cubare finit. Illa autem nunc in hoc, nunc in illud latus decubitum difficilem reddit. Icterus perfectus, vel color ictericus, quem inter symptomata recensui, et ascites insuper de quo inter effectus, morbum utrumque benè designant. Ratione etiam pulsûs, qui in illa validus et durus evadit, plerumque dignoscuntur. Dolorem acromii, claviculæque, qui illi nunquam non adhæret, addere oportet, quamvis talem quidem in hac sæpius apparere, confidentium sit. Si spiritûs ardentis bibax fuerit æger, vel si ictus hepatis illatus fuerit, quæ res interdum medicum fugit; hæc inquam, si ita sint, vix de diagnosi locum errandi habemus. Cartilago Xiphoidea in hac, nempe hepaticide, protruditur, quod in illa nunquam contingit.

PROGNOSIS.

De morbi hujusce eventu aliquid certi vix pronunciare audemus, priusquam singula saltem symptomata accuratè et studiosissimè perpendantur; ex his enim, partiumque affectarum naturâ vel sitû, prognosis penitùs pendet. Vel fanitas, vel mors, vel alii morbi chronici huic finem imponunt; vel ut volunt alii, quod idem ferè sonat, in resolutionem, suppurationem, gangrænamve definit. Secundum Hippocratem magnum, aliofque illustres viros, singultus malè ominatur. Si sanguinis copia è naribus, nare dextrâ potissimum, ut plerisque placet, aut vasis hæmorrhoidalibus fluere incipiat, eventum felicem sperare audemus. Hoc etenim modo morbus spontè resolvi dicitur. Vomitiones atque diarrhœa biliosæ spem eandem sæpè promittunt. Urinâ etiam copiosâ, et sedimentum deponente, sudoreque interdum resolvitur. Expectoratio, ex fide CL. BURSERII, sæpè malum tollit. Sed de hæc

opinionem Cullenus cel. omninò hærere videtur. Haud meum est inter tanta medicinæ lumina litteram componere ; unusquisque igitur de hac terminatione, aut experientiâ, aut proprio iudicio edoctus, ut libet, iudicet. Eruptione erysipelatosâ in quadam corporis partè, morbum nonnunquam removeri probabile esse existimat Cullenus ; talem autem solutionem apud alios, quos consului, auctores, invenire non potui. Quando ad suppurationem vergit, si abscessus in jecinoris convexitate sedem fortè habeat, hoc modò peritonæo adhærens partes exteriores petit, auxilioque chirurgico tempestivè adhibito nos benè sperare facit. Sed si pars læsa diaphragmati accrescat, pus in pectoris cavum, vel in pulmones iter sibi patefacere potest, et sic materia vomicæ omnis, urgente tussi, ore ejicitur. Quum in parte concava ulceris domicilium sit, propter accretionem cum partibus vicinis, pus in abdominis cavum facilè tranfit, aut in ventriculum, indèque in intestina receptum, vel vomitionibus vel fellis evacuatur. In utroque casu ægrum exitium manet. Febres intermittentes, vel remittentes

inter

inter causas enumeravi. Hepatitidem ab iis orientem, vel simul cum iis existentem, in dysenteriam pessimi moris, (ut inter effectus dixi) à bilis corruptione abituram, scribit cel. Swietenius, præsertim si Chinâ Chinâ febris immaturè cohibita fuerit. Nil tale tamen ex cinchonæ usu sequi innuit cl. Burserius. Si pyrexia violenta supervenerit, summum imminet periculum, quoniam tardus fluidorum cursus inflammationis cujusque resolutioni favet; sed talis in febre vehementi motus omninò desideratur. Hæc de prognosi. Nunc de medendi methodo agere incipio.

CURATIO.

Ut inflammationi instanti, suppurationemque minitanti obviam eundo, exitialem morbi finem quatenus fas est, avertamus, omnibus modis festinandum est. Sanguis in primis mittendus, prout symptomatum omnium violentia postulare videtur; ratione virium ægri interea diligenter habitâ. Clysmatibus emollientibus, aperitivisque
alvus

alvus leniter ducenda est; quæ si spontè fluere incipiat, huic fluxui, auxilio blando, sapiens atque exercitatus medicus favebit. Lumbis, abdomini, et hypochondrio potissimum dextro fomenta sunt applicanda. Epispastica parti affectæ primum admovenda. Omnia, quæ diluunt, refrigerantque gnaviter adhibenda sunt. Serum lactis, quod vel pulpâ tamarindorum incoctâ, vel cremore tartari, vel talibus subacidum redditur, optimum, ægroque gratissimum potum efficit. Quæ autem acriter purgant, ne malum auferent, *cane pejùs et angue* fugienda. Solitis ubi symptomatis, pulsu, nempè, pleno, facie aliquantulum tumidâ, et rubicundâ, nariumque pruritu, hæmorrhagiam brevi adfore constabit, secundum celeberrimum Burserium, nares internas, partesque vicinâs, et frontem fomentis, vaporibusque aquæ tepidæ relaxare plurimum valebit. Interdum fit, ut hæmorrhoidum vel uteri fluxu spontè exorto morbus solvatur; hiscè igitur evacuationibus dummodo modicis obsecundare, magni erit momenti. Si pars hepatis concava solum tentetur, vesicatoria paulo antè commendata

mendata morbi levamen vix afferre solent; attamen, ut nil intentatum relinqui videatur, hæc quoque addere melius erit. Vasa hæmorrhoidalia externa, per anastomoses internas, et proinde venæ portarum connecti, anatome nos docet; hirudines igitur, ut mihi videtur, haud frustra his admovebuntur. Nam venæsectio vix quidem prodest, quum inflammatio tantum in extremis portæ ramis sit. Sudorem etiam elicere et sustinere commodum exhibebit. Serum lactis, ut supra paratum, calidè et largiter haustum, ad hoc utile evadit. Scretu, urinæque profusione morbum interdum tolli invenimus; his igitur sese ostendentibus, diuretica atque expectorantia mitissima et blandissima porrigenda sunt. Quænam hæc esse oportebit, re medicâ vel leviter imbutus, facilè, ut opinor, compertum habebit; ea proinde enumerare vix meum esse puto. Quæcunque spontè exorta ad morbi solutionem tendere videntur; his leniter tantum auxiliari nos decet. Illud enim præclarum HIPPOCRATIS MAGNI monitum semper in memoriam revocare debemus. “ Nil vi faciendum est, naturam sequamur

sequamur ducem, et quâ monstrat iter, cursum tendere conemur.” Si remedia hæc omnia parùm, ut fit interdum, aut nil valeant, suppurationum certè expectanda est; quod ex symptomatis mali usitatis facilè apparebit. De prognosi tractans, tumorem purè scatentem peritonæo accretum ad partes exteriores vergere, opemque chirurgicam tum exposcere dixi. In tali casu mora damnum afferre solet; et hoc quidem doctissimi, atque accurati Aretæi auctoritate confirmatur. Puri igitur quàm citissimè dandus est exitus. Si etenim aliquamdiu commoretur, exitio est, utpote quod visceris substantiam brevi corrodere potest. Auctor idem hæmorrhagiam lethalem ex operatione magnoperè timendum esse scribit; unde caustici potentialis ope, vel cauterio ipso iter puri patefacere multo tutiùs esse putat. Pace tamen tanti viri, nil, aut parùm quidem periculi superesse existimo, si Chirurgus prudens, peritusque, abscessum vel scalpello, vel lanceâ cautè incidat. Haud enim obscurum est, quòd instrumentum pus tantùm, non vasa sanguifera, attingit. Sed quod chirurgorum esse puto,

hìc

hîc ulteriùs profequi nolo. Hoc tantùm addam, spem quidem certam procul abesse, medicumque igitur, si famæ suæ consulere velit, rem ægri amicis significare oportere, quoniam nulla jam remedia profunt. Unum et alterum tamen exemplum, quo patet ægros quosdam mortem effugisse, profert cel. Swietenius.

Haëtenus de vomica, quæ exteriora petit, dicere, necessarium duxi, quia spem aliquam quamvis exiguam superesse credidi; si autem, ut antea notatum, materia purulenta in pulmones, vel in abdominis cavum effundatur, nil est, cur multa loquamur, mors prædam auferret; quod medico vitio verti non poterit, dummodo prognosis, quæ verò certa est, eum latere non videbitur.

Operæ pretium fortè esset hîc subjungere, in India orientali, hoc malum, ubi latissimè regnat, medicorum morem fuisse accipimus, unguentum hydrargyri ad salivationem usque adhibere, sanguinis missione, et purgantium auxilio, evacuatione priùs factâ.

Supereft jam, ut pauca de specie morbi chronicâ tradam. Quò faciliùs hæc lectori innotescat,

scat,

feat, ipsam Culleni cel. definitionem optimam, accuratissimamque hîc citare volo.

“Hæc sæpè nulla quibus dignoscatur signa præbet; aliquando tamen eadem adesse suspicari possumus, ex hepatitidis causis quibusdam prægressis, ex sensu quodam plenitudinis, et gravitatis in hypochondrio dextro, ex doloribus plûs minûsve pungentibus in eadem partè subinde perceptis, ex dolore quodam à presso hypochondrio dextro, vel à decubitu in latus finistrum sensu, et denique ex pyrexia leviori cum dictis signis subindè infestante.”

Signis talibus, ut opinor, morbus facilè innotescet, et prout symptomata plûs minûsve urgent, remedia omnia antè memorata tentanda sunt; ex his autem, quoniam formam inflammatoriam hæc morbi species vix unquam induit, hydrargyri præparata primum locum tenere videntur. Sed Hyd. mur. mit. præ cæteris internè ad alvi sæpè solutionem administrari vellem. Ung. etiam fort. regioni hepaticæ frictione diligenter applicatum multùm valet. Fructu etiam non

carent epispastica parti affectæ admota, sæpiúsque repetita.

Quò magis in propatulo essent, quaecunque de hoc morbo dicere decrevi, pauca mihi insuper cum bona lectoris benigni venia, addere fas sit.

In utraque quidem specie exempla hepatis insigniter aucti traduntur; quæ itaque ad hæc pertinentia potissimum ex annotationibus a cel. BURSERIO citatis, colligere potui, hic subungere non alienum mihi videtur. CRAWFORDIUS, in opere suo, quem citat, hoc ferè modo loquitur. Abdomen tumescit, et indurescit multùm, et repente, et undulatio in eo interdum percussione percipitur. Respiratio difficillima, quod præcipuum symptoma est. Virium omnium dejectio, angustia in pectore sensus, vertigo ad quemlibet corporis motum præcessere. Subsequitur crurum et pedum œdema. Dorsum dolet, sitis adest inexplebilis, et cibi fastidium. Pulsus est debilis et parvus, qui tamen post sanguinis missionem, major, plenior, et distinctior fit. Facies rubra et florida est. Prout ventris

tumor augetur, sic etiam et respirandi difficultas. Hæc duo symptomata paucos post dies à morbi invasione molestissima fiunt. Brevi post æger queritur de oppressione ad cordis regionem, et de adstrictione sub cartilagine ensiformi, quæ intolerabilia evadunt, ægrumque intra modicum temporis intervallum suffocant. Vertigo interdum corripit ut stare non possit, seque lecto tradat necesse est, ne in syncopen incidat. Aliqui etiam sentiunt cordis palpitationem. Sectio cadaveris ostendit *immensam hepatis molem* ambo hypochondria occupantem, et ad hypogastrium descendentem. Superior pars sursum premit diaphragma, et sic pulmones comprimit. Morbus acutus est, cui venæsectio et repetita purgantia remedium præbent.

Viscerum abdominalium fluida, eò quòd in hoc morbo stagnare coguntur, mitem, solitamque naturam deponere, acremque induere, valdè proclivia sunt. Et, sicut antea explicui, bilis quasi adhuc immatura, vel materia, quæ hanc mox præbebit, in harum partium vasis commoratur; unde putredo maximè timenda est. At-

tamen

tamen, si corporis functiones parùm lædi videantur, si anxietas abnormis non urgeat, et pyrexia lenis sit, fausta mali solutio speranda est. Ad hoc, diluentia admodùm copiosè porrigenda. Post hæc, ambo hypochondria, præcipuè dextrum frictione leni demulcere oportet.

Dolor in regione splenicâ benè ominatur, nam ex hoc resolutionem vel adesse, vel brevi adfore intelligimus. Præpeditis, ut patet, vasis hepaticis, sanguis à liene per venam splenicam in portam exitum invenire nequit. Constrictione hepatis vasorum tandèm aliquatenùs remotâ, lienis jam tumidi moles detumescere incipit, unde sanguis majore solito copiâ atque impetu per arteriam splenicam defertur, quò fit, ut doloris sensus ibi excitetur. Si autem sensatio hæcce vehementer ingruens ægrotantem admodùm cruciet, væ misero! Vomica tandem aliquandò exitialis expectanda est. Tùm etenim ne minima quidem fluidi vitalis portio portam visit. Jecur etiam scirrho laborans, eodem modo, ut opinor, anxietate abnormi, doloreque lienis violento miseros torquere solet. Ut medico

Medico igitur benè sperare liceat, hoc viscus leviter tantùm affici debet, nullis interim suppurationis signis sese manifestantibus.

Sanguis per artem missus non tantum secum affert levaminis, quantum narium hæmorrhagia.

Color ejus ater, non floridus plerumquè invenitur, si Swietenium cl. audiamus. Profusio per nâres magna, etiam si nimia quibusdam videatur, periculum vix unquam habet. Quando enim debilitate inductâ ægrotans syncopen ferè patitur, patulæ tùm arteriarum extremitates sese spontè contrahunt, hæmorrhagiamque cohibent. Sed si medicus intempestivè cautus, et nimium quidem timidus fluxui huic salutifero ante debitum tempus finem imponere statuât, exitialis mali recursus magnoperè reformidandus est. Si tamen post deliqui symptomata, fluxus adhuc permaneat, tùm, certè ejus gradum sistere oportet.

Quoniam sub hepate colon cursum suum dirigit, idque insuper attingit, summi erit momenti intestinum hoc laxantium (non purgantium acrium)

acrium) ope, vacuum retinere, ne fœces inclusæ irritationem, malumque idcirco adaugeant.

Icterus provecto morbo sèmpèr aderit, si tumoris mole præcipuè bilis cysticæ fluxus præpediatur. At in omni hujusce visceris inflammatione, auriginem plùs minùs adesse suprà probare conatus sum.

Dùm abscessu purulento consumitur jecur, nil mirùm, si ex absorptione puris in sanguinem, et ex functionibus aliis hoc malo læsis, omnia infausti ominis signa, quæ suprà recensui, sequantur.

Anxietatem plurimam, quæ huic morbò nunquam non adhærere reperitur, à compressione visceris affecti vasorum, et ex difficillimo, vel cursu potiùs occluso sanguinis venosi per partes abdominis varias in portam, originem trahere existimo.

Hepatitis, quæ in vomitam desinit, laborantium, urina atra et viscida plerumquè invenitur, eò quòd pus pessimi moris iter sibi in sanguinem, indè que in urinam, acquirit.

Rerum chemicarum peritis haud ignotum est,

grassante

grassante putredine, aëra, qui formam elasticam statim induit, copiosè gigni. Fluidis hoc malo in conditionem putridam ruentibus, tympanitis haud rarò consequitur. Quòd sic se res habet, tumefactione, quam in corporibus putrefactionem sub, et præsertim post mortem passis, observamus, luculenter admodum patet. Hoc porò manifestum est in animalibus quibus aquâ submersis vita eripitur. Horum corpora insigniter tumida in gurgite natantia, quum primum stadium putridum subire incipiunt, sæpè videmus.

Vi aëris inclusi etiam sæpè rumpuntur, et tum gravem, lethiferamque exhalationem, quæ latissimè sese diffundit, quæque cautissimè fugienda est, copiosè mittunt. Toto jecinore tandè consumpto, materia purulenta et foetida per ductum Cholidochum, aut aliter, in intestina intromissa, ano denique ejicitur. Tum, sicut ex Aretæo colligimus, si foeces instar cadaveris graveolentes expellantur, pyrexia vehemens oritur, omnia in pejus ruunt, muscoli liquefiunt, pulsus parvus, respiratio laboriosa, fiunt, et brevè post pallida mors
fabulam

fabulam claudit. Ars medica hic miseris, vae! nil prodesse potest, nisi quòd aliquid levaminis afferre, citumque tyranni inexorabilis gradum, paululum tantùm retardare queat. Medicum igitur benignum, qui generis humani miseris succurrere didicit, summis viribus niti oportet, ut omnia saltem leviora aegro miserrimo videantur, nec manum medicam comiter porrigere cesset, donec optanda lethi hora tot malis finem tandem imponat. Syncope, vel mors etiam inopinata, vomica disrupta, saepe sequuntur. Vasa enim materia abscessus acri semesa, pressu jam remoto, vi sanguinis, subito, et post longum tempus influentis ruptionem facilè patiuntur.

Venam cavam inferiorem magnà ex parte per hepatis substantiam, auriculam cordis dextram versus iter sibi patefacere, ex anatome colligimus. Pus igitur abscessu erumpens cavæ sanguini facilè misceri posse patet; undè in vasa pulmonalia statim abreptum ægrum subito suffocare valet.

Scirrhum inter hepatitis effectus enumeravi. Quamobrem hanc formam inflammatio induit,

et

et quâ ratione duritiem tantam fumunt partes apprimè affectæ, tironum, (quorum ex numero meipsum esse fateor) quibus fortè gratum et utile esset, haudquaquam autem, (ne sic putent) exercitatorum, veteratorumque gratiâ, hîc pro virili explicare conabor.

Quænam, aut qualis fit causa inflammationis proxima, hoc loco differere vix meum esse puto. Theoriam sibi ipsi gratiorem unusquisque adoptet. Hoc autem, ni fallor, inter omnes convenit, cursum nempè sanguinis in vasis partis affectæ plus minus impediri. Si per hæc igitur fluidum vitale motu rapido ferri soleat; hoc et eorum reactione inter se mutuò certantibus, impedimentum vel brevi removetur, vel si id non contingat, suppuratio vel gangræna fortè sequuntur. Contrà, si fluxus admodum tardus fit, sicut in hepate accidit, partibus sanguinis tenuioribus tantum evanescentibus, crassiores manent, malumque augentes tumores duri atque immobiles fiunt, qui inter medicos *Scirrhi* audiunt. Partes itaque corporis glandiferæ, aut glandulæ ipsæ, in quibus sanguinis vis nil aut parum

parùm valet, hujusmodi infortunio frequentius
 ferviunt. Sic in mammis sæpè occurrit; eòque
 magis, quoniam lac è mammariis jam secretum,
 et in ductibus lactiferis aliquamdiù commora-
 tum, coagulum formare incipit, unde nimirùm
 difficiliùs locum jam occupatum deferere cogitur.
 Idem de testibus, quibus sæpè accidit *Scirrhus*,
 dici potest.

Miseros hepatitide laborantes mors subita in-
 terdùm occupat. Quo modò hoc fit, breviter
 explicare volo. Ita etenim vel remedia quæque
 efficacissima statim usurpanda sunt, vel si maligna
 morbi natura omnia superare videatur, medicus
 de prognosi jam certior factus, sui ipsius famæ
 tempestivè consulere potest; quæ res medicis
 quidem nunquam non diligenter appetenda est.
 Vasa omnia hepatica inflammatione, materiæque
 viscidâ inde genitâ, occlusa fuisse sæpiùs dixi.
 Si huic igitur malo pyrexia vehemens supervene-
 rit, vi solito majore sanguis propellitur; unde
 Porta, ejusque rami nimiâ jam distensione la-
 borantes disruptionem necessariè patiuntur, con-
 tentaue in abdominis cavum effundunt. Dyf-

pncea, facies miris modis pallida, debilitas summa subitò exfurgunt, et brevi pòst, ægri clauduntur in æternam lumina noctem; et quoniam in arteriis venisque, sanguis hoc modo præpeditur, gangræna etiam partes circumpositas brevi comedens, facilè inducitur.

Morbum, de quo hæctenus tractavi, per plagas terræ calidiores magis sævire, inter auctores omnes convenit; et quoniam hoc ipse in dissertationis hujusce principio innui, cum bona tua, lector benigne, venia, cur homines his locis præcipuè infestat, hïc mihi conjecturam facere liceat—“ et seu pravè, sive rectè hoc volui, ne sis patruus mihi.”

Malum in his nostris regionibus septentrionem versus magis vergentibus, æstivis præfertim temporibus, si calor solito paulò major fit, frequentiùs occurrere, neminem non confessurum credo. Perspiratio tùm etenim copiosius fluit, quæ, partes fluidorum tenuiores corpore pedetentim eliciendo, residuum spissum relinquit, quod *atram bilem* antiquorum aliquatenus efficit. Quanto autem major humorum crassities

in corporibus circulo æquinoctiali vicinis regnabit, materia igitur hæc, instar picis, nonnunquam viscida, vasa præsertim hepatica, ob rationem sæpius in hoc opusculo redditam, facilè occludet, unde inflammatio, ejusque sequela, scirrhus, capita efferunt.

Homines itaque macri, temperamentoque *atrabilionario*, præcipuè si immodico Nicotianæ usui indulgeant (si enim majore quàm par est salivæ copiâ sanguis privatur) infortunii hujusce vim potissimùm experiuntur.

Hæc jam hætenus de Hepatitide dicta sufficiant. “ Ne lippi scrinia compilâsse videar, “ nil amplius addam.”

FINIS

EX TYPOGRAPHEO ACADEMICO,

